

PANEGYRICUS
de
Insigni Nobilissimi ORDINIS A-
QUILÆ BORUSSICÆ
præstantia,

quem in

AUGUSTISSIMI & POTENTISSIMI
PRINCIPIS ac DOMINI,

DOMINI
FRIDERICI
REGIS BORUSSIÆ,

&c. &c. &c.

NATALI quadragesimo nono
sub auspiciis

T. T.

D. JOHANNIS MEIERI,

In Gymnasii Regio-Joachimici Auditorio Majori

Dic XIII. Julii MDCCY.

publicè dixit

HEINRICUS WILHELMUS HOLTZENDORFF,
Berolinensis.

COLONIAE MARCHICAE,
Typis ULRICI LIEBPERTI, Regii Typographi.

PANGRITUS
Hypatius Hippelius Ordinis A-
GATKE GOERUSSEN
bisessimis
PRINCIPIS DOMINI
DOMINI
BRIDERICI
PAGINORUSSA
KAROLINUS
D. JOHANNIS HERRE
HEINRICH WILHELMUS HEDDORN



Q. D. B. V.

T. T.



Ic tandem post nubila Phœbus ! Et, quæ
planè singularis est in nos, in Marchiam
Brandenburgicam, in nobilissimas Provin-
cias, in Regnum Borussiæ, quid? quod in
universum orbem Christianum divina clem-
entia, ingentem illum, qui non nisi cum
vita nos relinquet, mœrorem, quam benignissimè hoc ipso
die Deus novo gaudio attemperat. Confedimus adhuc in
luctu & squalore, & vix tantum vel fuit, vel admissum fuit
solatii, quod gravissimum nostrum dolorem, qui ex HEROI-
NÆ & REGINÆ INCOMPARABILIS, AUGU-
STISSIMI NOSTRI FRIDERICI dignissimæ Con-
jugis, optimæ Patriæ Matris excessu nostris omnium animis
inhæreret, lenire, nedum auferre valuerit; sed læta nunc subit
rerum Catastrophe, quæ ut alium induamus vultum jure me-
ritoque nobis injungit. Pauci sunt clapsi dies, quando pro
Majestate Regni, pro dignitate virtutum (quæ in alias divisò
alveo derivatæ, velut uno meatu collectæ in unam beatissi-
mam nunc REGINA M fluxerant) quando denique pro
tenerrimo, quo complexus est dignissimam sibi hanc Con-

jugem affectu, REX noster Pientissimus suæ defunctæ exu-
rias Terræ Matri reddidit, ea animi æquitate & christiana
constantia, quam probavit, cum REGINAM SERE-
NISSIMAM suam animam DEO reddidisse intelligebat. Et ec-
ce! qui vigore sui symboli, SUUM CUIQUE, SUUM DEO,
SUUM terræ, SUUMque optima Regina redditum, illi nunc
justissimus Universitatis hujus Arbitrarius SUUM quoque tri-
buere, & magni doloris ex amissa dilectissima Conjuge Ama-
ritudinem dulcissimi noni & quadragesimi NATALIS sui
gaudio commutare voluit. O! læta rerum Metamorphosis!
O Felicitas! quam in durissimo, qui nos occupavit, lucretus
horrore vix cogitare, minus promittere nobis poteramus. Vi-
get, singulari in nos DEI Beneficio, SERENISSIMUS
NOSTER REX firmitate & robore corporis inconcusso;
eaque pollet animi præsentia, quæ in tanta lucretus austерitate
Ei omnino perire potuisset, nisi heroica illa & Regia Virtus
Illum confirmasset. Ex quo quid aliud ominari licebit?
quam quemadmodum supremum illud Numen moerorem
hunc adeo magnam excipere jusserit lætitiam; ita futurum esse,
ut SERENISSIMUS NOSTER REX, quam diutissimè
prospera confirmatus valetudine, suam dolendi mor-
tem nonnisi sero justam occasionem fit præbiturus. Quod
ipsum sicuti omnes boni ut singularem DEI beneficentiam,
hodierna luce, ineffabili mentis accipiunt lætitia; ita contineri
non possunt, quin eam felicissimis gratulationum acclama-
tionibus læto animo prosequantur. Applaudunt ingenti huic
felicitati Potentissimæ exterarum Gentium Nationes, & pro-
rumpente lætitia quasi obruuntur, quod consentientibus o-
mniuum votis Ejus indies Gloriam ad altiora produci fastigia
vident, quo hospite suam quoque salutem promoveri non ig-
norant. Advolat ad Gaudii hujus Festivitatem subiectissi-
mus devotorum Civium Numerus, nec ferre vult, ut ab ex-
teris sibi præcipi videantur ea cum lætitiae, tum venerationis
suæ erga Clementissimum suum REGEM argumenta: certa-
tim

tim vero quisque in eo versatur totus, ut devotissimi pectoris officia, quæ vel fidei, quâ SERENISSIMO REGI omnès sunt obstricti, vel quæ Divinæ ejus debent Clemenciam, condignis explicare modis valeant. Quando autem eorum, qui SERENISSIMI REGIS NOSTRI sceptro subsunt, ea est conditio, ut, esset absque his, ad faustissimos gratulationum applausus semper devinctos sciant; singularē tamen SERENISSIMI REGIS NOSTRI solertia, quâ Nobilissimum BORUSSICÆ AQUILÆ ORDINEM instituere, iustum hoc ipso solidæ virtuti præmium statuere, validissimum per illustres Justitiæ Sacerdotes repagulum inquis objicere, & hac ipsa ratione saluti omnium subditorum prospicere ita paternè voluit, quis est, qui non ultiro fateri debeat, eximiam ingentis lætitiae materiam ex Regia hac institutione nobis fuisse suppeditatam, & non inconvenienter nos acturos, si auspiciatissima DIEI hujus solennia, pro nostro etiam modulo, concelebraturi, dicendorum hac horula materiam ab hoc ipso *Ordine* sumamus,

Patieris ergo, REX AUGUSTISSIME, ut in tanta gratulantium celebritate Tuis laudibus adstrepere, & insignem præcipue NOBILISSIMI ORDINIS AQUILÆ BORUSSICÆ præstantiam, pro ingeniali mei imbecillitate, luce hac candidissima, delineare sustineam. Licet enim ea sit ejus amplitudo, ut quæ exinde Tuâ virtute, Tuâ pietate, Tuâ, DOMINE, prudentiâ, in REGNUM, quaqua versum patet, BORUSSICUM derivantur BENEFICIA disertissimorum etiam Oratorum vires prosterne, quid? quod exhaustire possint; recreabit tamen eis me Juvenem excidisse conatus, quibus exsequendis ne Virorum quidem Præstantissimi se pares animadvertunt.

A vobis autem, *Auditores* &c. eâ, quâ decet, reverentiâ summo opere rogo atque contendeo, ut mihi, quæ mea est de vestro in me benevolo Affectu fiducia, exquisitissimis SERENISSIMI REGIS NOSTRI Laudibus pro virili litaturo, vestro at-

tentionis favore adesse, & cum exili mei sermonis genere in Fa-
cto hoc SERENISSIMI REGIS NOSTRI, nonnisi cum
Universo rerum Interitu intermorituro, periclitanti yestra
benignitate subvenire non dedignemini.

Si quis, Auditores &c. in recensendis SERENISSI-
MI REGIS NOSTRI heroicis facinoribus aliquanto
accuratiorem impendat operam, Desiderium sanè ardentissi-
mum, quo ab ineunte ferè adolescentia, virtutis sectatores
condignis ornayit præmiis, non postremum sibi vindicare
locum deprehenderit. Namque, ut non numeranda prætermitt-
tam exempla, quæ vel manifesta sunt, vel latent, (*amat enim
nonnunquam latere virtus, maximè, qua in conferendis bene-
ficiis versatur*) quām non emicuit heroica illius indeoles, quan-
do vel in aliis Heroibus eandem confirmare, vel in aliis excitare
voluit, instituto Ordine, qui heroico illo *Generositatis* nomi-
ne insignitur? Etsi enim liberior alioquin adolescentia, in qua
tunc quidem temporis versabatur REX NOSTER SERE-
NISSIMUS, minus favere tanto videbatur Operi; tantum
tamen ut obstaret absfuit, ut potius eò magis exsereret innata-
m sibi virtutis cupiditatem, quā non ignavi, sed fortis & stre-
nui pectoris, qui vel suæ virtutis specimina jam edidissent, vel
ingenitam virtutem probare satagebant, tam egregio Ordinis
præmio dignos judicavit.

Postea quām autem Divinæ Numinis benignitati pla-
cuit, ut SERENISSIMO FRIDERICO Regia im-
poneretur Corona, Generosa hæc Regii pectoris Vis, quæ al-
tiora spirabat semper, ad excellentissimum perfectionis gra-
dum, modo plane admirabili, procesfit. Gloriosissimus e-
niam noster REX Regiaru sui Coronationem Æternitati con-
secratus, omnium id censebat aptissimum, ut, quæ à teneris
sibi fuisset animi propensio, Nobilissimi AQUILÆ BORUS-
SICÆ Ordinis Institutione illustraret, & non solùm illius,
quem dixi, Ordinis Equites, ut ornatæ jam virtutis Viros,
magnam partem novo hoc splendore ornaret, sed & alias dein

pro-

probatae virtutis eis adjungeret. Quæ sacratissima SERENIS-
SIMI REGIS NOSTRI indoles eti ad Nobilissimi hujus Ordinis præstantiam haud exiguum attulerit momentum; insu-
fitatam tamen Augustissimi F R I D E R I C I pietatis observan-
tiam, præcipuam, non dicam omnem, splendoris hujus glo-
riam, suo quodam jure, sibi afferere, unanimi omnium consen-
su quam validissime comprobatur. Hæc ipsa enim fuit, quæ,
ut administra, SERENISSIMO REGI NOSTRO nexu nun-
quam divellendo conjuncta, mentem Ejus sanctissimam us-
que eò direxit, ut unicè ferè in id intenderet, qui laudatissimâ
hac ordinis fundatione Regiæ suæ Dignitatis, unius DEI
auxilio ultra omnium mortalium spem sibi concessæ, me-
moria floreat & perennare possit. Quando autem hoc ipsum
obtineti non potest sine non fucato solidæ pietatis exercitio, &
non sine vivida ac constante Christianarum virtutum obser-
vatione, quis est? qui mirari jure possit, hoc id ipsum esse, quod
in sanctissimis hujus Ordinis constitutionibus ferè secundum
à primo esse voluit AUTOR ejus AUGUSTISSIMUS,
qui tanto animi ardore, tanta virium contentionе in eo totus
occupatur, ut ceteris exemplum, quod imitentur, luculentum
prodere possit. Quod cum splendore suo oculis non tantum
se ferat omnium, sed & omnium animos occupare de-
beat; videre hic licet, qui debitæ in DEUM reverentia non im-
memores solius sanctitatis studio imbuti, Christianam, quam
profidentur, Religionem, studiosissimè defendunt, &, prout
occasio fert, non vi, non armis solum, sed inconsueta potius
mansuetudine propagare allaborant. Cernas denique alios,
qui vel amore in proximum excitati, vel SERENISSIMI
REGIS NOSTRI & Illustrissimi Ordinis symbolo, brevissi-
mo illo Religionis Christianæ compendio, inflammati, omnes
suas actiones, omniaque eò referunt consilia, ut humanarum
rerum Moderatricis, Divinæ Justitiae, ratio quam maxima ha-
beatur. Non terret eos periculum, quo Justitiae Custodibus
alterutra pars, quæ sibi saltem læsa videtur, invidiam conci-

Q

B 22

liare, & si posens sit, certum plerumque damnum inferre
consevit. Non moventur difficultate, quā ,quod verum &
justum est, vel quandoque latet, vel adversariorum versutia
ira infuscatur & involvitur, ut vix discerni aut reperiri queat ;
sed imperterritō se praestant animo, & irretortis, ut cum Poēta
loquat, quemcunque oculis intuentes, favoris, commodi &
intempestivae misericordiae radiis non magis moventur, quā
splendidissimum Ordinis ipsorum insigne, Aquila, quæ altero
pede laurum, altero fulmen gestans, ad radios solares oculos
non claudit ; sed sine personarum discrimine, cū bonis, tum
malis SUUM CUIQUE præmiū adjudicant.

Quod si verò Sapientia virtutum non infima deprædica-
tur ; quis non animadvertisit, & eam in SERENISSIMO NO-
STROREGE,circallustrisimum hoc opus,enitescere. Scilicet,
haud occultum esse poterat Tuæ, *Domine*, Sapientiæ, effu-
sam Equitum multitudinem præstantissimorum Ordinum, si
non interitus, saltem Ieioris eorum existimationis causam
fuisse, quod suā etiam mole præstantissima nonnunquam ru-
unt & suā copiā negliguntur ; Tibi, *Domine*, à Tuò Ordi-
ne id avertere volenti Tuorum Equitum numerum ad triginta
tantum extendere placebat, non modò ,quòd ex Philosopho-
rum placito *omne trinum perfectum est* ; sed & ut, quem
pietate Tua & Regiis virtutibus exprimis, Regem *Davidem*,
totidem numero Heroas eligentem , imitareris.

Exsurgunt alia,eaq; non minora Sapientiæ Tuæ specimina,
cū inNobilissimum hunc Ordinem recipiendis id imponas
officii, ut jure jurando (quod quidem arctissimum humanæ &
Fidei vinculum ut habetur, sic etiam esse debebat) *Tibi*, ut
supremo Ordinis Magistro, sese obstringant. Etsi enim de
virtute ipsorum minus dubitare liceat, quin ad promoven-
dam cū Potentissimi Regni Borussici , & Serenissimæ Do-
mum Brandenburgicæ,tum Excellentissimi Ordinis gloriam
omnes virium nervos intendere parati sint ; tanta tamen
sponsione obstricti ad hæc ipsa exequenda, sanctiori velut re-
ligione, incendi & concitari videntur. Orna-

Ornatum verò splendidissimum, de quo, *Domine*, Autoritatem ipsorum tueri, & ne exili aut sordido Amiculorum habitu contemnum sibi apud alios contraherent, ipsis sapienter propicere voluisti; ad quod, nisi ad amplissimam animi *Tui* sapientiam, referre licebit? Ornat eos Virilis illa Toga purpurei coloris, inter ceteros eminentissimi; Muniuntur Ense validissimo, ut, si qua vim vi repellere teneantur, quæ ipsorum sit in pectori virtus hoc ipso eant comprobatum; surgit denique candidi illa coloris Crista, indicium Heroicæ mentis certissimum. Definat itaque superba Antiquitas usque è virtutis ac venerationis præconio suos extollere Héroas, ut singulos Regiæ Dignitatis speciem prætulisse glorietur; Huc certè si processerit, tantis Herorum suorum Cohortibus non pares, sed Regia virtute, Regia Autoritate, Regia Veneratione majorem in modum superiores, summo cum stupore, admirabitur!

Magna, profectò, ea sunt, quæ dixi, Audit. & vel in his proferendis nonnihil, fateor, me sentio defatigatum: verùm, & illud tacendum omnino non est, Tuum, *Domine*, hīc consilium eluxisse statim ita divinum, ut nemo non summam illius Utilitatem viderit, perspexeritque hoc institutum ab omnibus nonnisi cum *Tua prudentia* admiratione excipi posse. Quod ipsum eos, qui Tibi à Consiliis sunt (non quasi Tu eorum opera indiges, sed quos, ut ex sapientissimi Regis præscripto sapienter modò agas, audis tantum) ita excitavit, ut omnia removerentur è medio, quæ salutari huic negotio aliquam posse moram injicere videbantur. In quibus non postremam contulisti Operam, sed jure meritoque primas tenes (patere Patronorum Venerande, ut in Tuo Legato Te absentem velut præsentem alloquar, & quæ veritas jubet, eloquar) Illustrissime Comes de WARTENBERG, Vir longa Atavorum serie, incredibili rerum experientia, & multorum eorumque insignium in *Augustissimum FRIDERICUM* officiorum Copia, citra invidiam, præstantissime. Ut enim omittam ea, quæ ad Regnum Borussicū, fundamen-

C

tum

tum & Principium Nobilissimi hujus ordinis ornandum con-
tulisti; nemo non confitebitur collocatæ à Te insignis operæ
indictum fuisse lucidissimum, quòd REX noster *Sapientissi-
mus*, sub primis statim Ordinis hujus auspiciis, Tibi
spectatissimam *Cancellarii* Provinciam conferre non du-
bitavit; satisgnarus, curæ, quā hic defungendum est, nonnisi
Virum Prudentiæ exquisitissimæ parem esse.

Quòd si verò ex solidis rerum initiis felicissimos omi-
namur successus; si ex læta agrorum segete opimam frugum
messem auguramur; quid non promittere nobis poterimus
de Nobilissimi Ordinis AQUILÆ BORUSSICÆ in-
cremento? cuius excellentiam adeò proiectam læti jam cerni-
mus, ut altius, quòd ascendat, ferè habere non videatur. Pro-
deant tot Celsissimi Principes, Comites Illustrissimi, Gene-
nerosissimi Barones & Nobiles, qui sanctissimis Ordinis hu-
jus legibus, legitimâ AUGUSTISSIMI CAPITIS ve-
neratione, subscripterunt, & quot magnifica dederunt suæ Vir-
tutis specimina, tot felicissimi successus argumenta certissima
simul protulerunt. Quæ tanta Ordinis hujus Felicitas cùm
& in subiectissimos POTENTISSIMI REGIS NO-
S T R I Cives se diffundat ita non vulgari afficiun-
tur gaudio, quòd videre ipsi possunt, non solum Regno
Borussico firma indies accrescere præsidia; sed & Religionis
& Justitiæ studium ad Vicinorum penetrare Regiones, quod
Tuā, DOMINE, virtute, Tuā pietate, Tuā sapientiā Tuis
in Provinciis florentissimum conspicunt.

Et quid dicam? FRIDERICE AUGUSTISSI-
ME, de immensa illa gloria, quæ piissimis Tuis Majoribus
magno quidem splendore adfuit; in Regiam verò Tuam fa-
miliam tanto cumulo illata est, ut augerine possit, omnino
dubium esse debeat: cuius tamen ipsius gloriæ & Tu Tuos
Equites participes facere non dubitasti; sicut, quæ ipsorum
est virtus, pro eavel augenda, vel conservanda suum ipso-
rum sanguinem læti profundunt. Noftis, Auditores, Vir-
tutem

tutem Brandenburgicam ad hoc usque productam esse fastigii, ut crudelissimo GALLIARUM REGI, & immannissimo TURCARUM Imperatori terrori sit: quid gloriae autem nunc eam consecuturam esse putatis? cum Nobilissimo AQUILÆ BORUSSICÆ Ordine, velut acutissimo excitata aculeo, nihil ardui pro Potentissimi Regni Borussici & Nobilissimi Ordinis gloria tentare detrectabit. Solida scilicet hic queritur gloria, ad quam grassata est superiore anno, plenis quasi velis, celebrata PRINCIPIS ANHALTINI, Borussicarum Copiarum DUCIS fortissimi, Virtus, & suo prænunciavit exemplo, ad quam alta evehenda veniat Nobilitatis culmina, quæ sub Ordinis hujus initis tanta sui specimina edidisset. Hærebat Princeps hic Serenissimus in prælio illo ad Hochstadium, vel æternitate dignissimo, satis dubius: Irruebant letissimæ Gallorum Bavavarorumque copiae, virtute dicam: an amentiâ plane ineffabili: Adstabat egregia quidem, sed hoste aliquanto inferior Borussicorum militum manus: Nullum tamen constantissimi juxta ac præsentissimi animi DUCIS omittebat officium. Occursabat furibundis hostium insultibus: retinebat suos, quos retro agi videbat; & eò tandem proficiebat Virtutis, ut cruentissimâ hostium strage edita, se non indignum Nobilissimi hujus Ordinis membrum comprobaret: illud eximiae suæ fortitudinis relinquens monumentum, quod non ulla temporum vetustate poterit deleri.

Non parvam quoque gloriae exspectationem Magna illa Imperatorum bellicorum Nomina ostentare videntur, quæ tu, Domine, hoc anno in Nobilissimi Ordinis AQUILÆ BORUSSICÆ societatem recipienda existimasti. Non marcescere patietur Generosissimus ille Baro de THÜNGEN Laudis suæ adoream, quam deportavit certè clarissimam, quando in difficillima Landavia oppugnatione à Co piis Borufficis ita validè confirmatus fuit.

Excitabitur, Domine, ad gloriae hujus stadium, in quo

ita gloriose adhuc versatus est, decurrentum Gener TUUS Charisimus, Celfisimum inter Juvenes Principes ornamen-
tum, PRINCEPS HASSIÆ *Hæreditarius*, parta ad eandem *Hochstadium* laureâ, quæ vel omnes Græcorum Ro-
manorumque Imperatorum Tropæ & Triumphos si non antecellere, salem cum illis comparari posse videtur. Cres-
cet Virtus Principis hujus excellentissima, quæ haec tenus in juvenc mascula, non ulla abrepta exstitit temeritate. Crescit in immensum illa generosa indoles, quam & hostes & amici admirantur, & cumprimis florentissima Belgarum Respu-
blica suo pretio æstinavit, quando *Herois* hujus mota Vir-
tute & prudentia militari, quæ ipsi incomparabilis est, non exigua illi copiarum suarum partem commisit.

Et quid opus est multis hic agere verbis, ubi rerum te-
stimonia, tanto numero, adsunt, ut nemo, qui aequo oculo o-
mnia intuetur, dicere vel velit, vel posit, tantam No-
bilissimi Ordinis AQUILÆ BORUSSICÆ non esse Glo-
riam, non tantam ejus Excellentiam, ut prædicari ita
debeat: quin potius fatebitur, si vel omnes simul Or-
dines, qui per Universum terrarum orbem vel floruerunt, vel
etiam nunc florent, in unum hoc coegeris, cum Dignitate,
& Præstantia veterum nulli esse postponendum. Quod ip-
sum eti latere queat neminem qui ante auctorum monumen-
ta, & ea cumprimis, quæ ad hanc materiam spectant, evol-
vit; quid tamen vetat, quo minus delectu eorum habito,
nonnullos insigniores Ordines nominemus, ut oppositis, quo-
modo in Philosophorum loquuntur scholis, juxta se positis
contraria magis elucecant, pateatque, quantum æra lupinis
sunt. Prodeat ergo in medium Ordo ille *Templario-*
rum, *Melitensis*, *S. Johannis* celeberrimus, adjunga-
tur *Aurei Velleris*, & *Sancti Jacobi*: nec omittantur ceteri,
quorum vel major est apud nos notitia, vel ætas recentior:
Certè pauci pio innituntur fundamento; multos barbarorum
excitavit metus, plurimi autem vanæ debent originem supersti-
tioni

tioni. In nonnullis sacratissimæ sanctissimorum, ut audiunt, Divi Petri Successorum manifestè apparent artes, quando ignorantia & superstitione laicorum, quos vocant, ab usi, justam aliorum Principum potentiam infregerunt, ut injuriam suam Dominationis libidinem eo securius exercere ipsi sacerdoti liceret. Quando autem reliquorum quidam ad levioris momenti casum originem suam referre debeant; nonnullorum verò natales fabulis debeantur; in quibusdam etiam negligēta videatur ratio honestatis, mirari profecto non subit, ex quasi sexaginta Ordinibus eorum ita paucos supererescere; quod ipsum eos levissimo superstructos fundamento ita manifestè docet, quā nunc sol ille ferè meridianus omnium oculos sua luce perstringit. Ex quo contra ea Nobilissimi Ordinis AQUALÆ BORUSSICÆ elucet præstantia, quando non vanis initii, non inanibus Pontificiorum superstitionibus, non malis perversorum Politicorum dolis, sed REGI, purissimæ Christianorum fidei addicto, circa clarissimam novi Regni fundationem non sine præsentissimo DEI auxilio, gloriissimum suum ortum adscribit. Habeant illi itaque suam sibi superstitionem; Gloriantur in vana Palæstinæ recuperatione, unde tot hominum non orta tantum calamitas, sed & sangvis stupendorum penè exercituum frustra est effusus. Pergant nonnulli detestandæ Pontificie sedis astutiae, vel, ut audit, Politicæ velificari; Religiosè celebrant aliis suis solennitates, quæ, quod firmo non nituntur talo, suo tempore finem habebunt: Remanebunt ea, Domine, Nobilissimo Tuo ordini immortalia Laudis præconia, quod Te Duce, Te Aufspice, in solius DEI Gloriam, & proximi commoda, & rerum nostrarum prosperitatem, successu adeò felici intenderit.

Quæ tam insignis Nobilissimi Ordinis hujus Præstantia, cùm ab innata Augustissimi REGIS Nostri virtute

tute profecta, singulari ejusdem prudentia ad tanta sui praeceperit incrementa, ut vel omni tempore maximis quibusque laudum generibus efferri mereatur & celebrari; quid ad æquitatem magis accedere existimatis, *Auditores*, quam ut jucundissimam ejus memoriam *Exoptatissima bac Luce*, ovanti potissimum animo, recolamus. Illa enim est fausta & prospera Dies, quæ ante quadraginta & octo annos miraculo prægnans & grava singulare bonitate natura Augustissimum FRIDERICUM, qui immortalia Facinora editurus esset, felicissimo partu enixa est: documento clarissimo, Dies ea si non illuxisset, futurum fuisse, ut, veluti aliorum, ita & hujus facti gloria, in Nobilissimo AQUILÆ BORUSSIÆ Ordine fundando, destitueremur. Gratulantur itaque sibi, REX Potentissime, de insigni DIEI hujus felicitate, omnes cum Exteri, tum præcipue Nobilissimus Ordo AQUILÆ BORUSSIÆ, infinitus denique numerus subjectorum Tuorum, quod Te non modo incoluem, non modo optimâ valetudine virescentem; sed & salvam supremi Ordinis MAGISTRI, Tuam Domine, tutelam, luce hac suavisima ipsis liceat contueri. Pertinentia ipsorum pectora inenarrabilis & non reprimendus gaudii impetus, quod Tuam FRIDERICE Augustissime, Majestatem, de tanta Nobilissimi Ordinis hujus accessione adeò feliciter salutare valeant. Incenduntur exspectatione incredibili, quemadmodum Tua, Domine, sapientia auspicatissimum Tuum NATALEM, ex diebus Inaugurationis in AQUILÆ BORUSSIÆ Ordinem recipiendorum esse voluit; ita ordinem hunc Tua cum salute (quam Divina Tibi Providentia concesserit diutissimam!), ut ad haec usque tempora, ita & posthac ad condigna sibi incrementa progressurum.

Faxit modo supremus ille Mundi Arbitrus, ut spes haec adeò

deò felicissime concepta non minori felicitate nobis respondeat! Faxit, ut DIES hujus solennitas, quam devotissimis jam prosequimur gratulationibus, multos abhinc annos uberiore cum lætitia semper recurrat! D E U S Te servet! R E X S A P I-
E N T I S S I M E , quia Tua in salute & subditorum Tuorum
& universæ Europæ, inter tot bellorum calamitates, niti-
tur salus. D E U S Te servet! R E X A U G U S T I S S I M E ,
quòd Tua Virtute Nobilissimi A Q U I L Æ B O R U S S I-
C Æ Ordinis sempiterna gloria effulgescat. Vive & Tu,
F R I D E R I C E W I L H E L M E , Imago tanti Parentis
absolutissima! Vive! Magna Patriæ Spes: & quæ Nobilissi-
mus A Q U I L Æ B O R U S S I C Æ Ordo, quæ fidelissima
Civium Tuorum pectora, quæ christianus orbis de Te concepe-
runt, Tuis Virtutibus longè exsuperat. Supera Fortitudine A-
LEXANDROS: Supera felicitate AUGUSTOS; Supera pro-
bitate TRAJANOS! ut, quæ virtutum magnitudo *Augu-*
stissimo Tu floret PARENTI, non in Eo aliquando ere-
ptam, sed à Tegloriosissimè expressam intuentes lætitias
omnibus ovemus atque læti trium-
phemus!

S. D. G.



5. D. 2

Gb 1053

8 40

loma



PANEGYRICUS
de
Insigni Nobilissimi ORDINIS A-
QUILÆ BORUSSICÆ
præstantia,
quem in

AUGUSTISSIMI & POTENTISSIMI
PRINCIPIS ac DOMINI,

DOMINI
FRIDERICI
REGIS BORUSSIÆ,

&c. &c. &c.

NATALI quadagesimo nono
sub auspiciis

T. T.

D. JOHANNIS MEIERI,

In Gymnasio Regio-Joachimici Auditorio Majori

Die XIII. Julii MDCCV.

publicè dixit

HEINRICUS WILHELMUS HOLTZENDORFF,
Berolinensis.

COLONIAE MARCHICAE,

Typis ULRICI LIEBPERTI, Regii Typographi.

